



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

4. Fides informis est aliquatenus Fundamentum Ædificij Spiritualis
Virtutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Non alia via potest homo cum DEO convenire, aut agere, quam per Fidem: opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere. FIDES est formalis Iustitia, propter quam homo justificatur, non propter Caritatem.

Hoc ut tenacius rudium animis inhæreret, pietatis testatum relinquere voluit. Tabula testis, in quâ Augustæ, cum Judicium extremum bellè depictum cerneretur, & ad terrorem fidelium peccata peccatis & fidei informi superædificantium, adscribi curavit: (a) In hoc die unusquisque secundum Fidem suam mercedem accipiet. Ad hoc modo nemo sanæ fidei, FIDEM Informem Fundamentum dicere potest, sive Spiritualis Ædificii, sive salutis æternæ.

(a) Florimundus Raymond, lib. I, cap. 16. n. 3.

ARTICULUS IV.

FIDES INFORMIS

Est aliquatenus Fundamentum Spiritualis Ædificii virtutum.

CUM Fides figuratè, ac secundum metaphoram Fundamenti domus rationem habeat; in fundamento autem variæ considerari possint proprietates, ob quarum aliquæ ea denominatione res quæpiam possit affici, non jerim inficias, Fidem informem dici quodante nus posse Fundamentum Domus Sapientiz, Declaro. In Fundamento hæc potissimum considera. *Primo*, quod ab eo incipiat ædificatio: quare dicitur initium atque exordium, Vnde Oratori, jacere fundamenta Reipublicæ.

licæ, est dare ejus principium. Ego inquit Cicero ad Cornificium, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, cunctantibus ceteris ad XII. Kal. Jan. fundamenta jeci. *Secundò*, quod pars sit ædificii. *Tertio*, quod fulciat ædificium, ne corruat: & quasi communicet reliquis partibus virtutem continendi se invicem: nam virtute fundamenti firmam habent connexionem inter se.

Si priora duo spectes, *Fides Informis* rectè vocatur *Fundamentum*: est enim exordium ædificationis spiritualis, *Principium vita*, scribit Deifer Ignarius (a) *est Fides: finis vero Dilectio: amba autem simul junctæ perficiunt hominem Dei*. Et in eandem sententiam Clemens Alexandrinus, (b) citans Pastorem nominatissimum olim inter scriptores Ecclesiasticos: *Præcedit*, inquit, *Fides, Timor autem adificat: perficit vero Dilectio*. S. Ambrosius quoque in Psalm. cxviii. (c) versans illud: *Principium sermonum tuorum veritas: Fides*, ait, *principium Christiani est: plenitudo autem Christiani iustitia*. Denique S. Augustinus idem diversimode frequenter exprimit. Sermone xvi. de verbis Apostoli: *A Fide incipit homo, sed quia & Dæmones credunt, necesse est addere spem, & caritatem*. Sermone xxii. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perfectur*. Præfatione in psalm. xxxi. *Magnum opus sed ex Fide: laudo super adificationem operis; Sed video Fundamentum Fidei: laudo fructum boni operis; sed in Fide agnosco radicem*.

Hoc confirmat pia contemplatio magni Papæ Gregorii, qui exponens illud Psalmi cxxxvi. (e) *Exinanite usque ad fundamentum in ea*, scribit, vocem esse *Cacodæmonis* tribules suos concitantis & compellentis, ut post destructam caritatem, tanquam dejectum ædificii

spi-

(a) Epist. ad Philipp. (b) libro 2, stroma. (c) Sermone 26.

(d) S. Gregor. xxv. mor. cap. 15. (e) Psal. cxxxvi. 7.

spiritualis tectum, nitantur fundamentum, id est, totum
 bur *Fi* ei dissipare. Clara quoque est illa Synodi Tridentinae sanctio (a) *Cum* Apostolus dicit. (b) *Iustificari* hominem per *Fidem* & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholicae sensus tenuit; & expressit, scilicet per *Fidem* ideo *iustificari* dicamur, quia *Fides* est humilitatis salutis initiū, Fundamentum, & radix omnis justificationis. *Sine* qua impossibile est placere Deo, & ad filiorū eius consortium pervenire. *Gratis* autem *iustificari* videmur, quia nihil eorum, quae *iustificationem* praecedunt, sive *Fides*, sive *opera*, ipsam *iustificationis gratiam* promeretur. Si enim *gratia* est, iam non ex *operibus*: alioquin, ut idem Apostolus inquit, *gratia* iam non est *gratia*.

Ex quibus colligas, *Fidei*, secundum se competere, esse se Fundamentum; ac proinde, cum *Fides* Informis in peccatore *fideli* retineat *rationem* integram *fidei*, quod omninō certum apud orthodoxos, haud male ei de nominationem Fundamenti tribui. Atque hoc modo *Caritas* non potest vocari Fundamentum: esset enim alioqui prima origine, & via generationis inter virtutes essetque prima Aedificii spiritualis pars non extrema, quale est tectum; quod sanē dici nequit.

(a) Trid. Sess. vi. cap. 8. (b) Rom. viii. (c) Molina Conco. q. 14. ar. 13. disp. 44. usque 21:2. disp. 210. cap. 7. Torres de fide disp. 41. dup. f. 6. 7.

ARTICULUS V.

FIDES FORMATA.

Simpliciter, quoad omnia, & actu est Fundamentum Aedificii Spiritualis.

Sin Fundamento consideres tum praecedentes duas quali-